DE

CONDITIONE ATQUE ORIGINE EORUM,

QUI

HOMOEI APUD LACEDAEMONIOS

APPELLATI SUNT,

DISPUTATIO,

QUAM

RITE AUSPICANDO MUNERI

PROFESSORIS PHILOLOGIAE ORDINARII

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE PHILIPPINA

CONSCRIPTAM EDIDIT

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN,

PH. D. AA. M.

MARBURGI MDCCCXXXII.

TYPIS ELWERTII ACADEMICIS.

1832.

Ceterum, spero, disputationem hujusmodi non continuo licenter errare et vagari putabunt, sicubi sine antiquo duce progreditur vel longius etiam quam antiquis placuit; modo ne falsos duces aut testes subornemus, alios rejiciamus temere, alios cupide sequamur. In universum autem habet hoc historicum genus hanc legem, ut nihil efficiatur ex singulis voculis et sententiis scriptorum, sed omnia ex perpetuitate quadam et nexu testimoniorum, rationum et argumentorum suspensa sint.

F. A. Wolf, Praef. ad Homer. p. XIX.

CAR. FRIDER. HERMANN D.

COMMILITONIBUS HUMANISSIMIS

S. P. D.

Quum duplex sit omnis hominis negotium, qui aliquam rem recte agere velit, ut et quid sibi agendum sit sciat et quomodo, ejus quoque officium, qui alios ad rectum rerum usum instituere atque erudire cupiat, in duabus potissimum rebus cernitur: primum ut uniuscujusque disciplinae naturam, propositum finesque describat, deinde ut viam atque rationem non tantum monstret, sed etiam ipse suo exemplo praeeat et quasi comitem se ducemque primis itineris stadiis adjungat. Licet enim omnia, quae ad perfectam alicujus artis scientiam pertineant, discipulis tradere magister nec possit nec si possit velle debeat, sola tamen artis praecepta non sufficient neque ad incendendos juvenum animos satis valebunt, nisi ipse interdum operi manum admoveat, ut verbis suis fides constet ipsiusque exemplo appareat perveniri illuc quo tendere jubeat posse. Prudenter igitur vetere more academico institutum est, ut quum omnia cum pulvisculo exhaurire in scholis publicis non liceat, multae tamen opportunitates praebeantur magistris, quibus singulorum locorum accuratiore tractatione tum scholarum brevitatem compensare tum ipsi velut specimina proponere possint, quorum aspectu discipuli ad similia audenda excitentur. Mihi vero quum Serenissimi Principis ac Domini nostri Clementissimi, FRIDERICI GUILIELMI, Principis juventutis Hassiacae ab Augustissimo Patre Electore in regni societatem asciti, indulgentia Professoris Philologiae Ordinarii munus in alma hacce Musarum sede demandatum esset, rite auspicandi ejus honoris occasio eo minus praetermittenda erat, quo magis hoc semper Philologis proprium fuit, ut per omnem opportunitatem publice profiterentur, nihil sibi in studiis parvum videri multarumque rerum, quae diu neglectae jacuissent, tractatione demum mag-

nitudinem apparere. Trado igitur Vobis disputationis *de causis turbatae apud Lacedaemonios aequalitatis* partem priorem, quae est de *hominibus*, alteram, quae est de *agrorum possessione*, idoneo tempore additurus; in qua etsi bene norim pauca inesse, quae prorsus nova dici possint, illud tamen mihi assecutus esse videor, ut quaecunque ex antiquorum scriptorum testimoniis virorumque doctorum opinionibus colligi de re dubia atque obscura possint, ita prope se posita inter seque conjuncta sint, ut se invicem illustrent atque confirment, multa autem quae contra rei naturam verive similitudinem a viris doctis temeraria conjectatione affirmata sint, accuratiore omnium vestigiorum comparatione refutentur. Primus enim data opera de hoc argumento disserui; quod si singulari tractatione dignius habuissent viri docti, non dubito quin magis sibi cavissent ab inanibus illis hariolationibus, quas tam saepe miratus sum cum verissimis sententiis ab illis conjunctas esse, nec tam titubanti gressu tanquam per lubricum campum incessissent, quem quamvis paucis luminibus distinctum firmiorem tamen habituri erant, nisi a Lycurgeorum temporum luce recentes quasi caligarent. Sed hac de re in ipsius disputationis praefatione pluribus dictum est; unde si nihil aliud, hoc certe Vos intellecturos esse spero, nullius rei magis quam veritatis studio me ardere; neque vero, si recte Vos novi, ulla re magis commendari me Vobis posse arbitror. Valete, Commilitones Humanissimi, meque amate. Scr. Marburgi Nonis Majis MDCCCXXXII.

I.

Quae omnino generis humani vel indoles vel infirmitas est, ut laeta quam tristia, florentia quam caduca studiis suis prosequi malit, eadem nescio quomodo in antiquitatum quoque graecarum et romanarum tractatione apparet, quum eorum saeculorum historiam, quibus hae gentes tum rebus gestis tum institutis civilibus morumque disciplina valebant, a multis egregiisque auctoribus et antiquitus traditam et nostra aetate versatam videamus, insequentia tempora, quum magis magisque decrescerent atque corrumperentur, vix a singulis accuratius considerata norimus. Quamquam de ipsa historia rerumque gestarum narratione hoc loco non agimus; antiquitatum, quae proprio nomine appellantur, doctrinae ea excusatio in promtu est, quod in illa singulas tantum singularum rerum publicarum descriptiones easque justas omnibusque numeris absolutas exhibendas esse plerique putabant, unde fiebat, ut, quum integris tantum populorum rebus eam legum morumque omnium vim invenirent, quae exprimendae formae cuidam perfectae et undequaque plenae idonea esset, degenerantibus per rerum vicissitudines civitatibus satis haberent, depravationis documenta referre, de interna rerum conditione causisque corruptionis remotioribus minus curiosi, nedum ut ipsius status publici, qualis illis quoque temporibus fuisset, justas descriptiones pollicerentur. At vero nobis, qui hac quoque in disciplina historica via procedendum rati nullum tempus prae alio negligendum ducimus, non intra unius alicujus status contemplationem consistendum, sed ita pari cum historia gradu eundum esse videtur, ut neque illud vinculum, quod inter externas internasque rerum publicarum mutationes intercedit arctissimum, unquam abrumpatur, et ipsius quoque rerum constitutionis, sicut historico externa nota esse debet, ita nobis internae, quantum fieri possit, quovis temporis momento tota cum causis suis ratio appareat. Neque alio modo ab ejusmodi erroribus cavere nobis poterimus, unde dici non potest quanta accuratior historiae cognitio detrimenta non recentiori modo aetate sed apud multos quoque antiquos auctores ceperit, qui haud raro, manentibus etiam per interni status conversiones antiquis magistratuum nominibus ipsaque externa reipublicae forma, similitudinis specie seducti, quum nihil omnino mutatum esse easdemque munerum et ordinum inter se rationes mansisse arbitrarentur, diversissima inter se miscuerunt, et si quid tamen aliter atque antea fieri videbant, degenerationis fontem in hominum tantum pravitate morumque corruptione quaerebant. Cujusmodi confusionis temporum distinctione remotae luculentum specimen praebebunt ea, quae quum ab aliis tum a nobis ipsis compluribus locis de Areopagi historia disputata sunt, neque alia praeterea in ipsa Attica antiquitate desunt cognominum magistratuum exempla a doctissimis quoque viris neglecta, quae tamen eo minus mirari oporteat, quum vel aequali tempore diversos magistratus iisdem nomi-

substitissent, distributio bonorum aequalis fieri potuisset; munera tantum quaedam singularia praeter regiam stirpem aliis quoque nonnullis familiis ut Tyndaridis (Herod. V, 75) Talthybiadisque (VII, 134) hereditario jure competebant, quae tamen quum neque ullo inter se nexu civili conjungerentur neque ad ipsam reipublicae administrationem quidquam attinerent adeoque ne Dorica quidem stirpe oriundi essent, cum Romanorum aliorumque populorum patriciis comparari nullo pacto possunt, neque magis quam apud Athenienses Cerycum Eumolpidarumque avita sacerdotia obstare debent, quo minus summam inter ipsos Spartanos aequabilitatem legibus constitutam esse statuamus. Neque qui interdum commemorantur Equites, in bonorum omnium aequalitate pro certo quodam civium ordine haberi possunt. Id quod propter Stuhrium potissimum moneo, qui licet Homoeorum originem Lycurgo posteriorem esse recte intellexerit, non solum cum equitibus illos confudit, quos ex antiquissima Spartanorum aetate repetendos esse Herodoti narratio de Licha et ἀγαθοεργοῖς (I, 67) docet; sed omnino miras ea in re turbas edidit (Feodor Eggo, Untergang der Naturstaaten, p. 117 sq.): „Nach allen vorhandenen Zeugnissen ist es nämlich nothwendig anzunehmen, dass der in späteren Zeiten gefundene Gegensatz in den Rechten spartanischer Bürger späterer und zwar nachlykurgischer Bildung sey. Ursprünglich sollten allen Spartiaten vollkommen gleiche Rechte verliehen seyn; und dennoch findet sich in folgender Zeit ein Volk, dem keineswegs die Gleichheit der Rechte zugestanden war. Dies letztere war ein solches, das als Mothaken, Neodamoden oder unter anderen Namen nicht in ein eigenes Geschlecht aufgenommen war, noch vermögend sich heroischer Vorfahren zu rühmen; während dagegen die ersteren, die — — sich nicht blos durch Tugend von den andern unterschieden, zu den *Gleichen* gezählt wurden und ihre Abstammung von den Heroen aus den Zeiten des Herakles abzuleiten wussten. Diese ächten und eigentlichen Spartaner, deren es zur Zeit des unglücklichen Agis nur siebenhundert gab, und die ohne Zweifel diejenigen sind, die wie die Vornehmen der Chalcidier, unter dem Namen der *Ritter* vorkommen, zerfielen in vier Geschlechter“ etc. Hippobotas significat Chalcidensium opulentos (τοὺς παχέας, Herod. V, 77; cf. Plut. Pericl. c. 23; Strab. X, p. 447), qui quum soli equos alere suis sumtibus possent, soli summam reipublicae tenebant, cujus praecipuae in equitatu vires constarent, ut bene monuit Aristot. Polit. IV, 3. 2: ἐπὶ τῶν ἀρχαίων χρόνων ὅσαις πόλεσιν ἐν τοῖς ἵπποις ἡ δύναμις ἦν, ὀλιγαρχίαι παρὰ τούτοις ἦσαν — at Spartae nullo tempore in honore fuisse equitatum constat cf. (Larcher de l'ordre equestre chez les Laced. in Mem. de l'Acad. d. Inscr. T. XLVIII, p. 96; Müller Dorier II, p. 241) ut taceam tam arctis finibus circumscriptam redituum aequalitatem tantis sumtibus sufficere non potuisse. Sero demum jam invalescente bonorum inaequalitate Spartanorum quoque nonnullos equorum apparatu magnificentiae laudem quaesivisse legimus (Plut. V. Ages. c. 20), sed quos Olympiam ad ludos mitterent, non quibus stipendia mererent, neque omnino, ut videtur, bellicis usibus destinatos; pessime enim instructas fuisse illa ipsa aetate Lacedaemoniorum copias equestres Xenophon testatur (Hellen. VI, 4. 10), quibusque sumtus praebuisse ditiores idem refert haud scio an publici fuerint equi, ut triremes, quas non Athenis modo verum etiam Spartae publice acceptas trierarchis servandas et sarciendas fuisse ex Thucydidis narratione IV, 11 equidem collegerim. Eos certe, qui antiquitus Equites apud Lacedaemonios appellabantur, equos non aluisse

diserte tradit Strabo X, p. 482; qui quum selecta ex omni juventute manus essent ad regum custodiam magistratuumque mandata exsequenda, quales Romae antiquissimis temporibus Celeres accepimus (Dionys. Hal. II, 13), si quando equis indigerent, a publico sumere debuerunt. Eligendi autem modum descripsit Xenophon de rep. Lac. IV, 3, unde quum neque hereditarium neque perpetuum eorum munus fuisse pateat, liquido apparet, Equitum appellationem, sive honoris illud sive aetatis, ut vult Eustathius (ad Iliad. VIII, p. 727) nomen fuerit, nihil cum Homoeis commune habuisse, quorum distinctionem et a parentibus ad filios transiisse et a tenera adolescentia coepisse vel unus ille Xenophontis locus docet (Anabas. IV, 6. 14): ὑμᾶς γὰρ ἔγωγε ἀκούω τοὺς Λακεδαιμονίους, ὅσοι ἔστε τῶν ὁμοίων, εὐθὺς ἐκ παίδων κλέπτειν μελετᾶν etc. Lectos tantum esse ex Homoeorum numero Equites concesserim, quum non praefecti modo eorum (ἱππαγρέται, cf. Xenoph. Hellen. III, 3. 9 et Hesych. Tom. II, p. 56 c. intpp.), quos nuper jam significavi eosdem cum tribus illis Homoeis ad regium comitatum pertinentibus (Xenoph. Rep. Lac. XIII, 1) fuisse videri (v. Lehrb. d. gr. Alterth. §. 29, n. 13, ubi omnino plura de Lacedaemoniorum equitatu), et qui ex ipsis sumebantur ἀγαθοεργοὶ (Ruhnken. ad Tim. Lex. p. 4) ἀρχῆς nomine insigniantur (cf. Bekk. Anecdd. p. 333. 31), sed etiam ipsi cum Cretensium equitibus, quos diserte magistratibus annumerat Ephorus apud Strab. l. c., comparentur (Hoeck Kreta III, p. 58) adeoque consilii publici instar fuisse videri possint, si quidem personatus Archytas apud Stob. Serm. XLIII, 134 ed. Gaisford (Serm. XLI, p. 269 Gesner) posteaquam praestantissimam reipublicae formam mixtam ex omnibus esse docuit, Spartae monarchiam in regibus, aristocratiam in senatu, oligarchiam in ephoris, democratiam vero in hippagretis equitibusque, quos κόρους appellat, ponit — τοῖς μὲν γὰρ βασιλεῦσιν τοὶ ἔφοροι ἀντικάθηνται, τούτοις δ' οἱ γέροντες, μέσοι δ' οἱ κόροι καὶ ἱππαγρέται· ἐφ' ὃ γὰρ ἄν ῥέψωντι τοὶ πλεονεκτέοντες τῶν ἀρχόντων, οὗτοι τοῖς ἄλλοις ὑποτίθενται — nobilitatem tamen equestrem apud Spartanos nullam fuisse satis demonstrasse videor. Omnino sic habendum est, in plerisque Graecorum civitatibus, etsi antiquissimo aevo familiae nonnullae ipsa stirpium generositate prae reliquis civibus in re publica valerent, eodem semper opum quoque praestantiam latasque agrorum possessiones accessisse; quibus aut temporum vicissitudine imminutis, aut aliorum minus nobilium labore et industria aequatis vel superatis, priscam illam aristocratiam ipsa rei necessitate coactam vel in democratiam vel in illud oligarchiae genus, quod a censu (ἀπὸ τιμημάτων) nomen traxit, transiisse videmus; ita ut vere contendi possit, inaequalitatem juris civilis apud Graecos nunquam sine bonorum quoque inaequalitate fuisse, nec, licet raro tantum juris aequatio bonorum quoque aequalem distributionem secum traxerit, cum bonorum omnium aequalitate juris inter cives differentiam unquam conjunctam esse potuisse. Homoeorum autem appellationem, quamvis verbo aequalitatem significet, re vera inaequalitatem indicare patet; qui nisi alios sibi impares oppositos habuissent, non appareret, cur juris inter se aequalitatem peculiari nomine testari necessarium duxissent. Nec Lacedaemoniorum modo, sed communem Graecorum omnium sermonem hoc vocabulo uti ad optimatium factionem designandam videmus, falsusque est Palmerius, quum (Exercitt. in auct. gr. p. 69) peculiarem eam vocem Lacedaemoniis esse neque alibi in hoc significatu occurrere perhiberet. Quamquam nollem Zeunius (ad Xenoph. Rep. Lac. XIII, 1) huc

retulisset Xenophontis locum de Rep. Ath. I, 6: *εἰ μὲν γὰρ οἱ χρηστοὶ ἔλεγον καὶ ἐβουλεύοντο, τοῖς ὁμοίοις σφίσιν αὐτοῖς ἦν ἀγαθὰ, τοῖς δὲ δημοτικοῖς οὐκ ἀγαθὰ*: adjuncto enim dativo *σφίσιν αὐτοῖς* vulgarem tantum significationem habere potest, ut sit: *sui similibus*, itaque statim in sequentibus verbis ad plebem quoque refertur: *νῦν δὲ λέγων ὁ βουλόμενος ἀναστὰς ἄνθρωπος πονηρὸς ἐξευρίσκει τὸ ἀγαθὸν αὐτῷ τε καὶ τοῖς ὁμοίοις αὐτῷ*: insignissimus autem Aristotelis locus est, unde et vis et origo nominis appareat, Polit. V, 7. 3: *ὃ γὰρ ἐπὶ τοῦ πλήθους ζητοῦσιν οἱ δημοτικοὶ, τὸ ἴσον, τοῦτο ἐπὶ τῶν ὁμοίων οὐ μόνον δίκαιον ἀλλὰ καὶ συμφέρον ἐστὶ*, et mox §. 4.: *ἔστι γὰρ ὥσπερ δῆμος ἤδη οἱ ὅμοιοι, διὸ καὶ ἐν τούτοις ἐγγίγνονται δημαγωγοὶ πολλάκις*: quamvis enim a plebe diversi optimates inter se eadem qua cives in statu populari aequalitate vivunt atque iisdem quibus democratia vitiis laborant, qua de re plura ex Aristotele attuli Lehrb. d. gr. Alterth. §. 58, n. 8—10. Neque vero hoc tantum nomine, sed aliis quoque, quibus illam factionem apud Graecos appellari constat, Aristotelem in dijudicanda Spartanorum republica uti iisque *δῆμον* opponere videmus; cf. II, 6. 15: *οἱ μὲν οὖν βασιλεῖς διὰ τὴν αὐτῶν τιμὴν οὕτως ἔχουσιν, οἱ δὲ καλοὶ κἀγαθοὶ διὰ τὴν γερουσίαν, ὁ δὲ δῆμος διὰ τὴν ἐφορίαν*: et V, 6. 7: *ἔτι διὰ τὸ πάσας τὰς ἀριστοκρατικὰς πολιτείας ὀλιγαρχικὰς εἶναι μᾶλλον πλεονεκτοῦσιν οἱ γνώριμοι· οἷον καὶ ἐν Λακεδαίμονι εἰς ὀλίγους αἱ οὐσίαι ἔρχονται καὶ ἔξεστι ποιεῖν ὅτι ἂν θέλωσι τοῖς γνωρίμοις μᾶλλον καὶ κηδεύειν ὅτῳ θέλουσι*. Apud Plutarchum quoque V. Lycurg. c. 17: *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ παιδονόμος ἐκ τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἐτάττετο*, ita accipiendum esse, collato Xenophontis loco patet Rep. Lac. II, 2: *ἄνδρα ἐπέστησε κρατεῖν αὐτῶν, ἐξ ὥνπερ αἱ μέγισται ἀρχαὶ καθίστανται, ὃς δὴ καὶ παιδονόμος καλεῖται*. Clarissima igitur oligarchiae Lacedaemone vestigia apparent; quae si quidem inter ipsos Spartanos obtinuit, non nisi post Lycurgum orta neque a bonorum inaequalitate disjuncta esse potuit; ea tamen antequam inquiramus quo pacto salvis Lycurgi legibus neque ulla reipublicae conversione facta existere potuerit, de ipsis Homoeis paullo accuratius disputandum erit, ut, quatenus a communi Spartanorum diversi fuerint, manifestum fiat.

III.

Neque enim tacere hoc loco licet, fuisse qui Homoeorum appellatione omnes Spartanos comprehendi censerent, quodque eo nomine indicari modo significavimus discrimen civile nihil aliud esse statuerent nisi notissimam illam inter Dorienses et Lacedaemonios differentiam, qua illi soli *τὴν πόλιν* cumque ea summam rei publicae tenerent, hi tanquam *περίοικοι* vectigales agros colerent. Cui opinioni favere possit ejus vocabuli usus apud Aristot. Polit. VII, 7. 2: *ἡ δὲ πόλις κοινωνία τις ἐστὶ τῶν ὁμοίων, ἕνεκεν δὲ ζωῆς τῆς ἐνδεχομένης ἀρίστης*. Recte enim Hoeckius, Kreta III, p. 79: *„Was in Athen und bei den Joniern überhaupt die allgemeine Volksmacht, δῆμος, ist, das kann bei den Doriern nur die πόλις, die städtische Bürgergewalt, seyn, die sich in der Ekklesia ausspricht“*. Itaque disputat Levesquius in diss. de Rep. Lac. (Mem. de l'Instit. Sc. Mor. et Polit. T. III, p. 349 et iterum in libro qui inscribitur Etudes de

l'histoire ancienne T. II, p. 293 sqq.): *Elle* (factio Doriensium) *institua pour elle même l'égalité et jouit en particulier de la démocratie; mais elle obligea la faction abattue à s'établir dans le voisinage de la ville, et en fit des véritables esclaves. Les hommes de cette faction devinrent ceux qu'on appella les Spartiates par excellence, et qu'on appella aussi les Egaux, parcequ'ils jouissoient entr'eux de l'égalité* etc. Quanquam miror in haec Levesquium potissimum incidisse, qui perioecis nihil juris competiisse in Lacedaemoniorum re publica recte intellexit; multo minus mirarer, si a Cragio vel aliquo ejus sectatore profectum esset, qui quum magnam concionem ad omnes Laconicae incolas, qui quidem liberi essent, pertinuisse, parvam, quam equidem solis Homoeis assignaverim, ipsorum Spartanorum fuisse censerent (cf. Crag. I, 7; Barthel. Voy. d'Anach. Ch. 45, T. IV, p. 99: Pastoret Hist. de la législ. T. V. p. 276; Manso Spart. I, 1. p. 92; Tittm. Darst. der gr. Staatsverf. p. 89 etc. quos recte refutarunt Müller Dor. T. II, p. 24, et Göttling in Herm. Vol. XXIII, p. 104), haud difficulter eo quoque delabi potuerunt, ut vel Ephoros ex perioecis sumtos esse statuerent. Scilicet Ephori quum Aristotele teste non ut senatores ex optimatium tantum numero sed ex plebe plerumque legerentur, non intelligo, quo pacto non ex perioecis quoque creari potuerint, si quidem optimatium nomine omnes Spartani comprehenderentur. Aristotelis enim καλοὺς κἀγαθοὺς eosdem esse cum Homoeis et res ipsa docet et infra clarius apparebit; quod autem Ephoros quoque ex Homoeis tantum creatos esse vult Pastoretus (Hist. de la législ. T. V, p. 270), ita tantum verum est, si ad antiquissimum tempus spectamus, quo pari omnes jure fruebantur, neque ipsum aliter intellexisse inde apparet, quod postea per abusum contrarinm factum esse concedit (p. 260: *on avoit donc commencé à violer cette ancienne loi* etc.) Qua de re licet nos paullo aliter sentiamus, tamen nominis potius quam rei controversia est; Aristotelis δῆμον non Spartanis sed Homoeis opponi etiam Pastoretus recte vidit. Apud Demosthenem quidem adv. Leptin. §. 88: ἐπειδάν τις εἰς τὴν καλουμένην γερουσίαν ἐγκριθῇ . . . δεσπότης ἐστί τῶν πολλῶν, facile largiar τοὺς πολλοὺς perioecos potissimum intelligendos esse; δήμου autem nomine apud Dorienses Doricae tantum stirpis homines appellari posse cum Hoeckio (Kreta T. III, p. 79, n. q) contendo. Quod si vel Homoeorum appellatione omnes Spartanos comprehendamus, juris tamen aequalitatem inter ipsos turbatam fuisse negari nequit, neque negavit Levesquius, quum ita disserat p. 363: *Mais quelle étoit l'égalité de ceux qui jouissoient des droits de citoyens, et qui s'appelloient entr'eux les Egaux? Je vais parler d'une inégalité atroce* etc. At ne dicam ridiculam esse inaequalitatem inter aequales, hoc potissimum obstat, quod sic illam aequalitatem eodem tempore nomine insignitam, re turbatam esse oporteret. Etenim ne unum quidem hujus appellationis vestigium ante Xenophontis tempus exstat, quae si re vera ad differentiam illam cum ipsa Spartanorum re publica ortam pertineret, mirum foret tum antiquiorum scriptorum tum Strabonis, Plutarchi quique praeterea antiquos auctores secuti rei publicae Spartanae primordia tradiderunt, silentium; ut taceam, vocem, quae solam juris inter cives inaequalitatem significaret, minus aptam videri ad indicandam diversitatem, quae ipsa stirpium disjunctione niteretur. Quem enim Wachsmuthius (Hellen. Alterthumsk. I, 2. p. 210) huc refert Thucydidis locum l. V, c. 15: ἦσαν γὰρ οἱ Σπαρτιᾶται αὐτῶν πρῶτοί τε καὶ ὁμοίως σφίσι συγγενεῖς, ab hoc vocabuli usu prorsus alienus est, quum nihil aliud sibi velit Thucydides,

nisi eodem ardore, quo alioquin consanguinei redimendis ex captivitate necessariis suis studeant, omnes Spartanos, quippe pari inter se cognationis vinculo conjunctos, eorum, qui in Sphacteria capti essent, libertatem expetisse. Omnes autem, quotquot recte huc trahi possunt loci de Homoeis praeter unum Demosthenis adv. Leptin. l. l. Xenophontis sunt; quos quia jam Schneiderus collegit ad Hellen. III, 3. 5, hic quidem repetere nolo; suo quisque loco accuratius tractabuntur; illud tantum in universum monebo, nullum esse, quo perioecis servisve diserte Homoei opponantur; huic distinctioni Σπαρτιατῶν potius nomen inservire; Homoeorum ita tantum ubique mentionem injici, ut pleni juris cives significentur, quo licet Lycurgus omnes Spartanos aequaliter uti voluerit, tamen posteriori quoque tempore usos esse omnes inde non appareat. Sic Demosthenes: ἐκεῖ μὲν γὰρ, inquit, ἐστὶ τῆς ἀρετῆς ἆθλον, τῆς πολιτείας κυρίῳ γενέσθαι μετὰ τῶν ὁμοίων, et Xenophon de Rep. Lac. X, 7: εἰ δέ τις ἀποδειλιάσειε τοῦ τὰ νόμμα διαπονεῖσθαι, τοῦτον ἐκεῖ ἀπέδειξε μηδὲ νομίζεσθαι ἔτι τῶν ὁμοίων εἶναι: nec propter ignaviam tantum accidisse, ut Homoeorum juribus aliquis careret, Hellenicorum ille locus docet de Cinadone: οὗτος δ' ἦν καὶ τὸ εἶδος νεανικὸς καὶ τὴν ψυχὴν εὖρωστος, οὐ μέντοι τῶν ὁμοίων: insignissimus locus, unde merito omnes, quicunque hanc rem illustrare aggressi sunt, praecipuam disputandi materiam sumserunt. Jure enim quaesitum est, Cinado, quum inter Homoeos non esset, qua conditione fuerit, neque nobis ea quaestio detrectanda est, quae licet universae tantum rei consideratione lucem sperare possit, multo tamen firmius nos per singularis alicujus exempli vestigia ad qualemcunque finem conducet. Sed ne quid praeteriisse videamur, verbo monendum erit, ne quis in illo Xenophontis loco ὁμοίους intelligat ipsos magistratus; quae licet opinio non tantum Aristotelis verbis, ubi de Cinadone agit Politic. V, 6. 2: ἢ ὅταν ἀνδρώδης τις ὢν μὴ μετέχῃ τῶν τιμῶν, οἷον Κινάδων ὁ τὴν ἐπ' Ἀγησιλάου συστήσας ἐπίθεσιν ἐπὶ τοὺς Σπαρτιάτας — sed etiam diserto Scholiastae Demosthenis testimonio confirmari videatur, qui ad l. l. μετὰ τῶν ὁμοίων explicat μετὰ τῶν ἄλλων ἀρχόντων — reliquis tamen omnibus locis refragatur. Quorum jam unus hoc abunde probat, quem supra adscripsi ex Anab. IV, 6. 14: ὑμᾶς ἀκούω τοὺς Λακεδαιμονίους, ὅσοι ἔστε τῶν ὁμοίων, εὐθὺς ἐκ παίδων κλέπτειν μελετᾶν: neque quod Aristotelis dicit μετέχειν τῶν τιμῶν, ipsam magistratuum gestionem sed aditum tantum ad capessendos honores significat; Ulpianum illum personatum nihil moror. Possit etiam si quis Stuhrii sententiam amplectatur, eandem Cinadonis quam Paedareti fortunam fuisse censere, quem Plutarchus narrat (V. Lycurg. c. 25; Apophthegm. T. VIII, p. 233) quamvis virtute praestaret, non inter trecentos illos equites allectum esse; sed longe aliam horum rationem esse supra jam demonstravi, ut taceam Cinadonem, quo ingenio describatur, non iniquiori animo quam Paedaretum ejusmodi repulsam laturum fuisse, neque tantam fuisse ignominiam, qnae nisi totius reipublicae conversione facta reparari non posset. Multo speciosius illi ipsi opinioni, qua cum Spartanis Homoei confunduntur, hinc argumentum peti possit; neque enim Aristoteles modo Cinadonem contra *Spartanos* conjurasse narrat, sed ipse Xenophonteus Cinado identidem *Spartanos* sibi inimicos esse prae se fert. Accuratius tamen re inspecta ideo tantum hoc fieri videmus, quia perioecos quoque et helotas in suas partes trahere studuit; unde ipsum perioecum fuisse minime sequatur; immo si perioecus erat, non appareret, cur Xenophon, quum simpliciter dicere posset: τῶν

μέντοι περιοίκων, circumlocutione uti maluerit, οὐ μέντοι τῶν ὁμοίων: cujus ita tantum justa ratio constat, si ea Homoeorum conditio fuit, ut etiam si quem inter eos esse exspectasses, legis tamen fortunaeve invidia vel aliquo casu consortio eorum carere posset. Neque nisi inter ipsos cives discrimen illa appellatione significaretur, satis perspicua illa definitio fuisset; Spartanis enim complura et diversissima hominum genera opponuntur, perioeci, servi, libertini; ipsorum duo tantum ordines apud Aristotelem distinguuntur, καλοὶ κἀγαθοὶ et δῆμος, quorum si alteri Homoei fuerunt, alteris significandis sufficiebat, ut οὐ τῶν ὁμοίων esse dicerentur. Neque tamen peculiari nomine et ipsi caruisse videntur; quod etsi conjectura tantum assequi liceat, tamen et re ipsa et virorum doctorum consensu commendatur meritoque comprobata est Cragii sententia, qui, quum quatuor hominum genera Cinado apud Xenophontem enumeret, quos socios sibi in evertenda Spartanorum re publica fore speret, εἵλωτας, νεοδαμώδεις, περιοίκους, ὑπομείονας, hos extremos fuisse, qui proprie Homoeis opponerentur, censuit. Trium enim priorum generum quum aliunde nota sunt nomina, tum de conditione ita certe constat, ut cur optimo civitatis jure caruerint appareat; ὑπομείονες autem, quos latine *paullo inferiores* dixeris, licet hoc uno loco commemorentur, tamen quum a reliquis diversos fuisse necesse sit, cur simul cum illis nominentur, nulla causa intelligi possit, nisi deterioris conditionis Spartanos interpretemur, qui quamvis reliquis illis praestiterint, Homoeis tamen sive optimi juris civibus inferiores fuerint; id quod et ipsa vocabuli significatione confirmari videtur. Cragius igitur „*Existimo autem*, inquit, *dictos fuisse ὁμοίους, qui pari inter se iure gaudebant quibusque honores omnes aequaliter patebant. Quales fu[illegible]ui legibus praescripta praestiterant et observarant quique onera publica ferre poterant. Itaque non[illegible]stituti disciplina Laconica vel minus eam observantes, ὅμοιοι non erant, ut Cinadon ille. At ὑπομείονες sint ipsi qui ὁμοίοις inferiores erant ac forte an tum aliis tum vel eo illis cedebant, quod magistratus capere non poterant. Ideo quidem in horum numero mea sententia praeter eos quos diximus, qui legibus praescripta obire non poterant, sint censendi praeterea pauperiores quique et libertini exque libertinis geniti* (cf. de Rep. Lac. I, 10). Quae distinctio licet Ubboni Emmio (Graec. Respubl. Elzev. 1632. T. I, p. 312) magnas quoque tenebras habere visa sit, tamen et a Xenophontis interpretibus recepta est, nec recentioribus, qui illustrandae Spartanorum reipublicae operam dederunt, displicuit, ita tamen ut nec de statu atque origine ὑπομείονων nec de ipsius Cinadonis conditione satis inter se consentirent; qua de re jam amplius agendum erit.

IV.

Qui primus diligentius hanc quaestionem tractavit, Manso (Sparta T. I, P. 1, p. 230—241) tria hominum genera ὑπομειόνων appellationem complecti censet: primum deterioris conditionis cives, qui quamvis nati essent Spartani, tamen qualibuscunque de causis optimo civitatis jure carerent; deinde si qui in civitatem recepti Homoeorum tamen jura non accepissent; denique Mothones sive Mothaces, quo nomine eos Helotarum pueros appellatos esse novimus, qui quum forti robustoque corpore essent, tum ad augendum civium numerum tum ad Helotarum

genus debilitandum una cum civium liberis Spartana disciplina imbuti deinde ingenuorum loco habebantur, quosque ideo etiam τροφίμους sive alumnos Spartanorum appellari videmus; horumque generi Cinadonem quoque haud dubitanter annumerat. Mihi tamen multa ex his non parum dubitationis habere videntur. Primum quidem, ut hinc ordiar, si ex Mothacum numero erat, non intelligo cur de honorum aditu desperaret Cinado, quorum paullo ante summos Gylippus, Lysander, Callicratidas gesserant, quos omnes Mothaces fuisse Aelianus affirmat (Var. Hist. XII, 43) neque his solis sed omnibus qui, quum Mothaces facti essent, in disciplina Laconica persisterent, civitatem a Lycurgo concessam esse addit: ὁ δὲ συγχωρήσας τοῦτο Λυκοῦργος τοῖς ἐμμείνασι τῇ τῶν παίδων ἀγωγῇ πολιτείας Λακωνικῆς μεταλαγχάνει. Phylarcho enim apud Athenaeum VI, 102, qui libertatem quidem, non tamen civitatem eos adeptos esse contendit (εἰσὶν οὖν οἱ μόθακες ἐλεύθεροι μὲν οὐ μὴν Λακεδαιμόνιοι) jam ideo fidem non habuerim, quia Lysandrum quum Mothacem natum nihiloque minus civem fuisse nosset, hoc propter virtutem quasi praecipuum accepisse putavit. Sed Lysandri commemoratur pater ipsi Heraclidarum stirpi cognatus Aristocritus (Plut. V. Lysandr. c. 2) ut Gylippi Cleandridas, quod, si viri demum facti comprobataque virtute bellica in Spartanorum numerum recepti essent, explicationem vix haberet, sin a tenerrima inde aetate per ipsam disciplinam puerilem Spartani facti sunt, tantum abest ut, quod nonnulli opinati sunt, Aeliani testimonio refragetur, ut potius novam lucem toti rationi addat. Videmus enim non libertinorum eos loco habitos esse, quapropter nec inter varias illas libertinorum species apud Athen. l. c. leguntur, sed per aliquod adoptionis genus civitatem accepisse; quod eo facilius factum esse putarim, quia plerumque veri ipsorum patres Spartani fuisse videntur, quos veri simillimum est haud raro cum Helotarum mulieribus rem habuisse, indeque si pueri nati essent robustiores pulcrioresque quam quos Helota procreasse videri posset, sibi quasi proprios vindicasse. Itaque jam Wachsmuthius (l. l. p. 210) explicat insignem Xenophontis locum Hellen. V, 3. 9: πολλοὶ δε αὐτῷ καὶ τῶν περιοίκων ἐθελονται καλοὶ κἀγαθοὶ ἠκολούθουν καὶ ξένοι τῶν τροφίμων καλουμένων καὶ νόθοι τῶν Σπαρτιατῶν, μάλα εὐειδεῖς τε καὶ τῶν ἐν τῇ πόλει καλῶν οὐκ ἄπειροι: ubi eo usque lapsus est Manso (l. l. p. 237) ut νόθους cives recens receptos significare posse arbitraretur; melius Müllerus (Dorier T. II, p. 285) etsi quid senserit obscurius significarit: *„Die νόθοι bei Xen. ordentlich ein besonderer Stand, der aber an der Erziehung der Spartiaten Antheil hatte, sind wohl aus Verbindung verschiedener Stände hervorgegangen, gewiss nicht aus eigentlichem stuprum“*. Omnino notum est abundante tantum ingenuorum civium multitudine spuriis apud Graecos civitatem ademtam esse, hominum penuria coactos interdum vel cum iis civitatem communicasse, quos peregrinus cum ingenua cive procreasset. Cf. Aristot. Politic. III, 3. 5: τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἔχει καὶ τὰ περὶ τοὺς νόθους παρὰ πολλοῖς· οὐ μὴν ἀλλ' ἐπεὶ δι' ἔνδειαν τῶν γνησίων πολιτῶν ποιοῦνται πολίτας τοὺς τοιούτους — διὰ γὰρ ὀλιγανθρωπίαν οὕτω χρῶνται τοῖς νόμοις — εὐποροῦντες ὄχλου κατὰ μικρὸν παραιροῦνται τοὺς ἐκ δούλου πρῶτον ἢ δούλης, εἶτα τοὺς ἀπὸ γυναικῶν etc. Neque alia ratio Partheniorum fuisse videtur, conditorum Tarenti, quos ἐκ τῶν ὁμοίων fuisse clare testatur Aristot. Politic. V, 6. 1; qui licet a quibusdam ex promiscuo ingenuorum juvenum cum virginibus concubitu, dum Ithomen Spartani oppugnarent, nati dicantur, tamen a Diodoro Siculo (cf. Maj. Exc. Vaticana p. 10) diserte

ἐπευνακταὶ appellantur; ἐπευνακταὶ autem, Theopompo teste apud Athen. VI, 101, Helotarum ex genere fuerunt, qui belli Messeniaci tempore augendo hominum numero in ingenuarum mulierum toros recepti essent; quos quum propter belli necessitatem Spartani civitate donassent, pace restituta hominumque numero rursus accrescente non incredibile est minore honore habuisse; multo tamen melior Phalanthi quam Cinadonis conditio fuit, qui non modo honore verum etiam jure inferior erat. Quod autem illos, quos ξένους τῶν τροφίμων καλουμένων Xenophon appellat, a Mothacibus diversos nescio quos peregrinorum filios (*Söhne der Fremde*) Wachsmuthius intelligit, qui mature Spartam delati Spartana disciplina imbuti sint, mihi quidem secus videtur. Opportune enim Plutarchus Institt. Lacon. T. VIII, p. 252 Hutt.: ἔνιοι δ' ἔφασαν, inquit, ὅτι καὶ τῶν ξένων ὃς ἂν ὑπομείνῃ ταύτην τὴν ἄσκησιν τῆς πολιτείας, κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Λυκούργου μετεῖχε τῆς ἀρχῆθεν διατεταγμένης μοίρας: quod etsi pinguiori sensu de qualibuscunque peregrinis intellexerit personatus Heraclitus, cujus epistolam ineditam publicavit Boissonadius ad Eunap. p. 425: Λακεδαιμόνιοι δὲ μετ' ἄλλων καὶ τοῦτ' ἀγαθοὶ, οὐ γράμμασιν ἀποδεικνύντες Σπαρτιάτας ἀλλ' ἀγωγῇ· κἂν ἐλθὼν τις Σκυθὴς ἢ Τρίβαλλος ἢ Παφλαγὼν ἢ μηδὲν ἔχων ὄνομα χώρας ὑποστῇ τὴν Λυκουργείαν σκληραγωγίαν, Λάκων ἐστί, perspicue tamen Xenophonteus locus docet, quales potissimum intelligendi sint peregrini illi, quibus, si disciplinae suae rigorem subiissent, civitatem Lycurgus promiserit; neque aliter accipio Aristotelis locum Politic. II. 6. 12: λέγουσι δὲ ὡς ἐπὶ τῶν προτέρων βασιλέων μετεδίδοσαν τῆς πολιτείας, ὥστ' οὐ γίνεσθαι τότε ὀλιγανθρωπίαν πολεμούντων πολὺν χρόνον: cum exteris enim rarissime communicatam esse tum ex Herodoto apparet, ubi de Tisameno et Hegia (IX, 35): μοῦνοι δὲ δὴ πάντων ἀνθρώπων ἐγένοντο οὗτοι Σπαρτιήτησι πολιῆται, tum a Dionysio Halicarnassensi confirmatur (Arch. Rom. II, 17): τὰ δὲ Ἑλλήνων ἔθη παρὰ ταῦτα ἐξετάζων, οὐκ ἔχω πῶς ἐπαινέσαιμι τὰ Λακεδαιμονίων . . . οἳ φυλάττοντες τὸ εὐγενὲς καὶ μηδενὶ μεταδιδόντες εἰ μὴ σπανίως τῆς παρ' ἑαυτοῖς πολιτείας, ἐῶ γὰρ ξενηλατοῦντες, πρὸς τῷ μηδὲν ἀπολαῦσαι ταύτης τῆς μεγαληγορίας ἀγαθὸν καὶ τὰ μέγιστα δι' αὐτὴν ἐβλάβησαν κ. τ. λ., neque ullo fundamento nititur Mansonis opinio, qui praeterea alios quoque interdum deterioribus conditionibus receptos esse censet. Sin mirum alicui videatur Lacedaemonios servili loco natos civitate donasse, atque ex servis potius quam ex exteris vel adeo perioecis civium numerum supplere maluisse, Romanorum exemplum recogitet, quos et ipsos novimus libertinis haud gravate plena Quiritium jura tribuisse, socios, a quibus tam diu non minus quam a perioecis Spartani armis corporibusque adjuti essent, post longas demum concertationes in civitatem recepisse: nec si ea potissima communicandae civitatis causa erat, ut exercitus supplerent hominumque bello idoneorum penuriae occurrerent, perioecos recipi necesse erat, servos erat, qui nisi libertatis spe accepta transfugissent potius quam militassent. Similisque etiam Neodamodum origo fuit, qui tamen ideo deterioris quam Mothones conditionis esse debebant, quia adulti demum ad libertatem pervenerant, quum illi inde a pueris ingenuis artibus instituti essent ideoque soli omnibus quae legibus exigebantur satisfacerent. Nam quum in reliquis omnibus Graeciae rebus publicis ipsa nascendi conditione legitima atque genuina civitas niteretur, Lycurgum videmus omnem civitatis fructum cum disciplinae atque educationis communione conjunxisse, ita ut etiam si quis Spartano genere oriundus

hujus particeps non fuisset, optimo civitatis jure privaretur. Sed de his mox plura; unum h. l. testem adhibeo Xenophontem Rep. Lac. III, 4: ἐπιθεὶς δὲ καὶ εἴ τις ταῦτα φύγοι, μηδενὸς ἔτι τῶν καλῶν τυγχάνειν etc. cujus comparatione ille quoque Hellenicorum locus (V, 3. 9) lucem accipiet; ubi quum τοὺς τῶν Σπαρτιατῶν νόθους τῶν ἐν τῇ πόλει καλῶν μὴ ἀπείρους fuisse Xenophon dicat, ipsa civium jura intelligenda esse sentimus; Phylarchum autem loco supra allato ipsum sibi fidem derogare videmus, quum Mothaces, quos ipse μετέχειν τῆς παιδείας πάσης testetur, tamen civitate cassos fuisse narret. Νεοδαμώδεις autem ne quis iccirco cum ὑπομείοσι confundat, alter Hellenicorum locus (III, 3. 6) prohibet, ubi clarissime inter se distinguuntur. Hi nimirum, licet Spartani essent, deteriori loco habebantur; illi ne inter Spartanos quidem numerabantur, filii tamen ipsorum, ubi disciplinae Spartanae participes facti essent, nec civitate carere amplius potuerunt. Neque enim intelligo quo jure Wachsmuthius l. l. contendat Homoeorum et jure et nomine eos tantum usos esse, qui a priscis Spartanis originem ducerent, reliquos omnes, quamvis illos disciplinae praestantia aequarent, propter ipsam nascendi conditionem abjectos inferiorique loco habitos esse, cf. p. 211: *Diess musste den halbberechteten Neubürgern um so empfindlicher seyn, als nach altspartanischer Trefflichkeit zu ringen ihnen nicht verwehrt wurde* etc.; quod si inde fortasse collegit, quod Cinado vir fortis neque ullo Spartanorum corporis animive dotibus inferior appellatur, certe etiam sine Lycurgi disciplina virtute ac robore excellere potuit. Neque magis assentior in eo, quod ὑπομείονας eos interpretatur, qui ex perioecorum genere inter cives recepti essent, ex ipsa verborum collocatione apud Xenophontem colligi posse ratus, eandem ipsis cum perioecis, quam inter Helotes et Neodamodes rationem intercessisse; quod quam temere sumtum sit, nemo non videt, ut omittam, de quo supra jam monui, civitatis cum perioecis communicatae neque exempla exstare neque rationem apparere. Magis probo de deterioris conditionis civibus quae Manso disputavit, quanquam hunc quoque miror, quum jam rectam viam ingressus esset, eo aberrare potuisse, ut Homoeorum praestantiam e nobilitate quarundam familiarum derivaret, quae a majoribus vel originis splendore vel virtute bellica rebusque gestis insignibus nescio quam majorem potentiam hereditario jure acceperint (Sparta I, 1, p. 239); quales nullas Spartae fuisse non est cur iterum confirmem; unum illud vellem Manso explicasset, quaenam ibi certarum familiarum nobilitas cogitari potuerit, ubi tam exigua sanguinis puri servandi cura esset, ut vel promiscuus mulierum usus lege permitteretur? Sed his immorari non oportet; transeamus ad accuratiorem eorum explicationem, quae ipse recte, quamvis in transcursu tantum et veluti titubans ibidem not. h) de causis turbatae inter Spartanos aequalitatis significavit.

V.

Gravissimus Aristotelis locus est Polit. II, 6. 21, ubi contra Lycurgi mentem evenisse narrat, ut quum lege prohibitum esset, ne quis optimo civitatis jure uteretur, qui pariter cum reliquis contribuere ad syssitia detrectaret, subnascente bonorum inaequalitate pauperrimus quisque rei publicae communione excluderetur: παρὰ δὲ τοῖς Λακεδαιμονίοις ἕκαστον δεῖ φέ-

ρειν, καὶ σφόδρα πενήτων ἐνίων ὄντων καὶ τοῦτο τὸ ἀνάλωμα οὐ δυναμένων δαπανᾶν· ὥστε συμβαίνει τοὐναντίον τῷ νομοθέτῃ τῆς προαιρέσεως· βούλεται μὲν γὰρ δημοκρατικὸν εἶναι τὸ κατασκεύασμα τῶν συσσιτίων, γίνεται δ' ἥκιστα δημοκρατικὸν οὕτω νενομοθετημένον· μετέχειν μὲν γὰρ οὐ ῥᾴδιον τοῖς λίαν πένησιν· ὅρος δὲ τῆς πολιτείας οὗτός ἐστιν αὐτοῖς ὁ πάτριος, τὸν μὴ δυνάμενον τοῦτο τὸ τέλος φέρειν μὴ μετέχειν αὐτῆς: quod si posterius demum sancitum esse Cragius censuit, vereor ne a tota hujus instituti natura prorsus aberraverit. Neque enim privatae tantum luxuriae coërcendae morumque integritati servandae syssitia instituta esse, vel Milesiorum exemplum doceat, quos quum sobrietatis atque temperantiae haud adeo studiosos fuisse constet, tamen et ipsos syssitiis usos videmus ex Plat. de Legg. I, p. 636, qui seditiones discordiamque civilem inde ortam esse apud illos significat: ἐπεὶ καὶ τὰ γυμνάσια ταῦτα καὶ τὰ ξυσσίτια πολλὰ μὲν ἄλλα νῦν ὠφελεῖ τὰς πόλεις, πρὸς δὲ τὰς στάσεις χαλεπά· δηλοῦσι δὲ Μιλησίων καὶ Βοιωτῶν καὶ Θουρίων παῖδες. Nimirum per syssitia non secus ac per tribus gentesque singuli cives distributi erant, eo consilio, ut quum universus populus convenire in unum quotidie non posset, tamen per partes simili modo quo prytanes apud Athenienses, quos et ipsos una coenasse notum est, quotidie coirent deque rebus ad rem publicam pertinentibus sermones conferrent. Qua de causa Dosiades apud Athen. IV, 22 Cretensium syssitia cum sodalitiis comparat: διήρηνται δ' οἱ πολῖται πάντες καθ' ἑταιρίας, καλοῦσι δὲ ταύτας ἀνδρεῖα: Plutarchus autem Quaestt. Symposs. VII, 9: τὰ γὰρ παρὰ Κρησὶν ἀνδρεῖα καλούμενα, inquit, παρὰ δὲ Σπαρτιάταις φιλίτια, βουλευτηρίων ἀποῤῥήτων καὶ συνεδρίων ἀριστοκρατικῶν τάξιν εἶχεν, ὥσπερ οἶμαι καὶ τὸ ἐνθάδε Πρυτανεῖον καὶ Θεσμοθέσιον, unde facile intelligitur, tantum momenti ex legislatoris mente ad ipsam reipublicae administrationem hanc syssitiorum communionem habuisse, ut nemo ea carere posset, quin simul omnem cognoscendae curandaeque rei publicae opportunitatem amitteret honoribusque gerendis omnino ineptus fieri videretur. Si quis igitur vel accedere ad syssitia nequiret vel suffragiis τῶν συσκήνων rejiceretur (Xen. Rep. Lac. VII, 4) non magis accedere ad rempublicam potuit, quam qui Romae tribu motus interque aerarios relatus esset. Quod tamen ex ipso Lycurgi consilio ac descriptione justissimum erat, qui quum aequabiles omnibus agrorum redituumque portiones attribuisset, neminem nisi turpiter profusum ab omnique prisci moris frugalitate degenerem eo penuriae venturum exspectare poterat, ut vel modicis illis sumtibus exhibendis non sufficeret; turbata autem bonorum aequalitate facile accidit, ut paupertas in infamiae locum succederet paullatimque in solas divitum manus res publica veniret. Atque jam hinc Homoeorum originem repeti posse, egregie Pastoretus intellexit (Hist. de la legisl. T. V, p. 287 sq.), licet in eo falsus, quod corruptionem Lacedaemoniorum per regem Persarum, quam objicit ipsis Alexander apud Arrian. II, 14. 12, eam vim habuisse arbitratur, quo plures Persarum in gratiam suffragia ferre possent; illam enim pecuniam non ad pauperes sed ad eos, qui rem publicam regerent, pervenisse consentaneum est, neque pecuniae sed agrorum fundorumque modo censas esse per totam Graeciam eas opes constat, quibus jura civilia niterentur. Sed de his mox; de re ipsa Pastoreti verba, quoniam rarior liber est, adscripsi: *„Etre né à Sparte ne suffisoit pas pour être éligible aux magistratures; il falloit être né d'un père et d'une mère spartiates, il falloit encore être admissible aux repas communs, c'est à*

dire pouvoir y apporter chaque jour le contingent prescrit. Cette obligation est remarquable dans un pays, où les lois favorisèrent mal la propriété; c'étoit comme le cens exigé pour être élu dans les autres républiques — — Tous ceux qui pouvoient fournir le contingent demandé, furent désignés par la qualification d'Egaux. Les citoyens de la seconde classe, ὑπομείονες, *n'étoient guère que des habitans. Ils avoient cependant le même droit de naissance; ils appartenoient aux mêmes familles, aux mêmes tribus, mais ils n'offroient pas les mêmes garanties d'indépendance* etc. Quae si recte disputata sunt, probatur etiam quod supra statuimus Homoeos eosdem esse cum καλοῖς κἀγαθοῖς apud Aristotelem, neque ὑπομείονας alios quam quos communi nomine idem δῆμον appellavit; quos enim modo ex plebe creari solitos narraverat Ephoros, eosdem mox tradit haud raro pauperrimos fuisse ideoque corruptionibus patuisse: γίνονται δ' ἐκ τοῦ δήμου πάντες, ὥστε πολλάκις ἐμπίπτουσιν ἄνθρωποι σφόδρα πένητες εἰς τὸ ἀρχεῖον, οἳ διὰ τὴν ἀπορίαν ὤνιοι ἦσαν etc. Mire hoc torsit tum Levesquium tum Wachsmuthium, qui quum multo latius patere Homoeorum nomen arbitrarentur, ipsa tamen rei necessitate coacti eo veniebant, ut inter ipsos quos sibi fingerent Homoeos et opum et inde ductum juris conditionisque civilis discrimen obtinuisse intelligerent; cf. Wachsmuth l. c. p. 214: *„Aristoteles sagt nicht, dass* δῆμος *für Neubürger zu halten seyen — — ausser diesen gab es allerdings noch einen Demos von Altbürgern, darunter sehr bedürftige — — recht wohl erklärt es sich, wie dergleichen Altbürger einerlei Standessinn mit den Angesehenen und Begüterten haben konnten“.* Levesquii verba supra jam adscripsi; qui licet non ut Wachsmuthius novos cives, sed perioecos Homoeis opponat, tamen quum illos, quos novorum civium appellatione Wachsmuthius complectitur, in perioecorum conditionem rejiciat, verbis potius ab illo quam re dissentit; cf. Mem. cit. p. 359: *le nombre des malheureux, qui formoient l'autre classe, dut s'accroitre toujours, parceque les neodamodes ou affranchis finissoient par entrer dans son sein; ils devenoient donc toujours plus pauvres; c'étoient les membres de la première classe, qui seuls s'appelloient les Egaux“* etc. Sed contra hunc supra satis disputatum est; speciosius utique Wachsmuthius, qui inde demonstrare conatur diversos ab Aristotelis δήμῳ fuisse eos, quos Homoeis opponit, quia Aristoteles *plebem* quiescere dicat, διὰ τὸ μετέχειν τῆς μεγίστης ἀρχῆς i. e. ἐφορίας (II, 6. 15), Neodamodes autem et ὑπομείονας ex Xenophonte appareat novis rebus studuisse animosque ipsorum a Spartanorum re publica abalienatos fuisse. At, puto, aliud est quiescere, aliud contentum esse; nec si Aristotelis tempore in reliquiis illis ex magno naufragio servatis plebes acquieverat, inde sequitur Cinadonis quoque aetate, quum recentior adhuc pristinae aequalitatis memoria esset, Homoeorum regnum patienter illam tulisse. Quaerat sane aliquis, quo pacto Aristoteles dicere possit honorum expertem fuisse Cinadonem, cui, si inter ὑπομείονας esset, Ephoratus tamen patuisset; cui equidem licet respondere possim Neodamodibus potius annumerandum esse, nolo tamen facere, ne aut nimis hariolari videar, aut illud mihi objiciatur, quo ipse supra, ut perioecum fuisse negarem, usus sum: causam non apparere, cur hoc non clare Xenophon significaverit; sed illuc animum advertere jubeo, Aristotelem ipsum, quum pauperes ex lege Spartanorum pleno civitatis jure caruisse nosset, ad Ephoratum tamen plerumque pauperes homines pervenire sine ulla dubitatione narrasse. Nimirum, ut dicam quod sentio, quaecunque jura per Lycurgi leges civibus Spartanis data es-

sent, iis soli Homoei fruebantur, remotis reliquis, quippe qui legibus illis satisfacere non possent; Ephororum dignitate, quam multis demum post Lycurgum annis institutam esse constat, cur arcerentur ὑπομείονες, causa in legibus non erat, neque cum Pastoreto *per abusum* tantum factum esse dixerim, ut non ex solis Homoeis Ephori crearentur, quos omnino legibus fere solutos fuisse Aristoteles tradit: ἐστὶ δὲ καὶ ἡ δίαιτα τῶν ἐφόρων οὐχ ὁμολογουμένη τῷ βουλήματι τῆς πόλεως etc. Creandorum tantum nonnullorum magistratuum jus retinuisse videntur universi; quae praeterea populi comitiis Lycurgus attribuerat, ad Homoeos solos transiisse Demosthenis verba docent, ubi Senatum ait τῆς πολιτείας κύριον γίγνεσθαι μετὰ τῶν ὁμοίων (adv. Leptin. §. 88); hosque dixerim esse quos identidem τοὺς ἐκκλήτους Xenophon appellat; non *selectos* nescio quos ex illis, quae Wachsmuthii opinio est (l. l. p. 212), sed quicunque in *parvam concionem* convenirent, quam ipsorum Homoeorum fuisse verisimillimum est; cf. Müller. Dor. II, p. 87, et egregiam glossam Lexici Rhetor. ad calcem Photii Porson. p. 668. 3: ἔκκλητον καὶ τὸ συνηθροισμένον· ὡς Εὐριπίδης· ἐλθὼν γὰρ εἰς τὸν ἔκκλητον λαόν· οἱονεὶ τὸν ἐκκλησιάζοντα. Ad senatores quidem eligendos plebem quoque convenisse Aristoteles testatur Politic. IV, 7, 5: ἔτι τὸ δύο τὰς μεγίστας ἀρχὰς τὴν μὲν αἱρεῖσθαί τὸν δῆμον, τῆς δὲ μετέχειν· τοὺς μὲν γὰρ γέροντας αἱροῦνται, τῆς δ' ἐφορίας μετέχουσι: Ephori licet ipsi nec quonam modo neque a quibus creati sint satis constet. Qua de re vide quae congessi Lehrb. d. gr. Alterth. §. 44, not. 4; mihi, si libere hariolari licet in re desperata, quum ex plebe tantum, non a plebe creatos esse Aristoteles tradat, qualicunque ratione a *senatu* lecti esse videntur; non tam quia Plat. de Legg. III, p. 692 proxime eos accessisse ait ad magistratus Atheniensium sorte constitutos, quos ab archontibus ductos esse novimus, sed quia Xenophon in Cyropaedia I, 2. 14, in illa, quam ad Lacedaemoniorum exemplar finxit, Persarum re publica, senes, quibus summam judiciorum potestatem tribuit, eosdem reliquos quoque magistratus creare ait: καὶ θανάτου δὲ οὗτοι κρίνουσι καὶ τὰς ἀρχὰς οὗτοι πάσας αἱροῦνται, quod haud scio an iisdem verbis de Spartanorum quoque senatu dicere liceat, quem capitis judicia exercuisse etiam aliunde notum est.

VI.

Homoeorum certe conditionem atque originem jam Hutchinsonus ad Xenoph. Anab. IV, 6. 11 recte intellexit nulla re magis illustrari, quam comparatione eorum, quos in Persarum re publica ὁμοτίμους Xenophon appellavit: hi quamvis exigui reliquae Persarum multitudini imperant (II, 1. 3), hi in consilium a rege adhibentur (VII, 5. 71), his ὁ δῆμος τῶν Περσῶν opponitur (I, 5. 5), neve stirpis diversitate bellive jure hanc potentiam niti putemus, ipsius Cyri vetat oratio ad eos qui inferioris conditionis essent, II, 1. 15: ἄνδρες Πέρσαι, ὑμεῖς καὶ ἔφυτε ἐν τῇ αὐτῇ ἡμῖν χώρᾳ καὶ ἐτράφητε καὶ τὰ σώματά τε ἡμῶν οὐδὲν χείρονα ἔχετε ψυχάς τε ὑμῖν προσήκει οὐδὲν χείρονας ἡμῶν ἔχειν· τοιοῦτοι δ' ὄντες ἐν μὲν τῇ πατρίδι οὐ μετείχετε τῶν ἴσων ἡμῖν, οὐχ ὑφ' ἡμῶν ἀπελαθέντες ἀλλ' ὑπὸ τοῦ τὰ ἐπιτήδεια ἀνάγκην ὑμῖν εἶναι πορίζεσθαι. Nemo enim, alio loco inquit I, 2. 15, Persarum honoribus magistratibusque ge-

rendis lege arcetur, immo omnibus licet filios ipsorum in communes justitiae ludos mittere; at ii tantum mittunt, qui filios alere possunt otiosos, i. e. qui tantum opibus valent, ut illorum opera ad opus faciendum victumque labore quaerendum non indigeant; inopum filiis, quibus propter ἀσχολίαν justa Persarum disciplina carendum erat, aditus quoque ad rem publicam gerendam praecluditur. Quae si ad Lacedaemoniorum rei publicae similitudinem efficta sunt, liquido apparet, alterum quoque fontem, unde secundum ipsas Lycurgi leges turbari civium aequalitas potuit, cum bonorum inaequalitate arctissime conjunctum fuisse, quamque Lycurgus, bonis aequaliter distributis, desidibus tantum contumacibusve proposuisset capitis deminutionem, orta censuum inaequalitate in totam pauperum multitudinem redundasse; quod miror et Pastoretum et Levesquium minus animadvertisse. Nempe eos tantum, qui inde a pueris tota Spartanorum disciplina instituti essent, optimo civitatis jure usos, reliquos, quamvis Spartani nati essent, a rei publicae administratione civiumque communione repulsos esse, et supra jam monuimus et tradit aperte Plutarchus Institt. Lacc. T. VIII, p. 252: τῶν πολιτῶν ὃς ἂν μὴ ὑπομείνῃ τὴν τῶν πολιτῶν ἀγωγὴν, οὐ μετεῖχε τῶν τῆς πόλεως δικαίων, coll. Apophthegm. Lacc. p. 243: ὁμήρους αἰτοῦντος Ἀντιπάτρου πεντήκοντα παῖδας, Ἐτεοκλῆς ἐφορεύων εἶπε παῖδας μὲν οὐ δώσειν, ἵνα μὴ ἀπαίδευτοι γένωνται τῆς πατρίου ἀγωγῆς· ἀτακτήσαντες οὐδὲ πολῖται γὰρ ἂν εἴησαν *): idque ad ipsum Homoeorum discrimen referendum esse, Xenophontis testimonium probat loco primario Rep. Lac. X, 7: ἐπέθηκε δὲ καὶ τὴν ἀνυπόστατον ἀνάγκην, ἀσκεῖν ἅπασαν πολιτικὴν ἀρετήν· τοῖς μὲν γὰρ τὰ νόμιμα ἐκτελοῦσιν ὁμοίως ἅπασι τὴν πόλιν οἰκείαν ἐποίησε καὶ οὐδὲν ὑπελογίσατο οὔτε σωμάτων οὔτε χρημάτων ἀσθένειαν· εἰ δέ τις ἀποδειλιάσειε τοῦ τὰ νόμιμα διαπονεῖσθαι, τοῦτον ἐκεῖ ἀπέδειξε μηδὲ νομίζεσθαι ἔτι τῶν ὁμοίων εἶναι. Quo in loco ne quem male habeat, nostraeve sententiae adversari videatur, quod nec opum rationem habuisse Lycurgum in optimo civitatis jure tribuendo Xenophon narrat, moneo χρημάτων ἀσθένειαν, quum de Lycurgi aetate sermo sit, non agrorum possessiones sed pecuniam tantum omninoque res mobiles et supellectilem domesticam spectare posse, quam Lycurgum coërcuisse tantum, non aequasse, Plutarchus auctor est V. Lycurg. c. 9: ἐπιχειρήσας δὲ καὶ τὰ ἔπιπλα διαιρεῖν, ὅπως παντάπασιν ἐξέλοι τὸ ἄνισον καὶ ἀνώμαλον, ἐπεὶ χαλεπῶς εὖρα προσδεχομένους τὴν ἀντικρὺς ἀφαίρεσιν, ἑτέρᾳ προσῆλθεν ὁδῷ etc. Unde factum est ut vel incolumi Lycurgi descriptione ac distributione opibus inter se cives differrent divitesque a pauperibus distinguerentur, cf. v. c. Plut. l. l. c. 10: ἐπὶ ταὐτὸ δεῖπνον τῷ πένητι τοῦ πλουσίου βαδίζοντος: sed hos quos Plutarchus appel-

*) Ita distinctis constructionibus facile defenditur vulgata h. l. lectio, cujus in locum, quum τῆς πατρίου ἀγωγῆς ἀτακτήσαντες conjungeret, vel Wyttenbachius ἀτυχήσαντες substitui maluit. Sed ἀπαίδευτοι ἀγωγῆς simili modo dictum erit, quo κακῶν ἄνατος et ἀνήνεμος χειμώνων aliaque multa apud poëtas, quorum exempla dabunt Valckenarius ad Eurip. Phoen. v. 328 et Reisig. Enarr. Soph. Oedip. Col. v. 670, neque alienum fuerit ἅπαις ἀῤῥένων παίδων apud oratores Atticos aliosque, de quo cf. Wesseling. ad Diodor. Sic. IV, 33; γὰρ autem haud raro vel post plura demum verba collocari, abunde docebunt Schäfer. Melett. p. 76; Ast. ad Plat. Symp. p. 222; Stallb. ad ejusd. Phileb. p. 90; Reisig. Conjectan. Aristoph. p. 147; Frotscher. ad Xenoph. Hieron. p. 38; Fritzsche Quaestt. Lucian. p. 100; Meinecke ad Menandri Fragmm. p. 7 etc.

lat pauperes tamen videmus syssitiis interesse, non ut Aristotelis aetate factum esse vidimus, propter inopiam arceri. Ditiores illud tantum praecipuum habebant, ut aliquando etiam delicatiorem cibum ad commune convivium conferrent; cf. Xenoph. Rep. Lac. V, 3: οἱ δὲ πλούσιοι ἔστιν ὅτε καὶ ἄρτον ἀντιπαραβάλλουσιν: nemo autem ex Lycurgi descriptione adeo pauper esse poterat, quin justam saltem portionem exhibere posset, adeoque tum agrorum tum servorum distributione victui omnium quotidiano vitaeque necessitatibus provisum erat, ut sine anxia rei familiaris procuratione privatorumque negotiorum occupationibus ipsi cum liberis suis toti liberalibus militiae exercitationumque artibus vacare possent. Quibus si quis se vel ignavia vel lucri cupidine ductus subtraxisset, jure ingenuorum civium communione extrudebatur; tale enim otium summum libertatis argumentum habuisse Spartanos vel ex illo Laconis cujusdam dicto apud Plutarchum apparet, qui quum Athenis aliquem ex Solonis legibus desidiae (ἀργίας) damnatum esse audisset, monstrari sibi jussit, τίς ἐστιν ὁ τὴν ἐλευθερίας ἐαλωκὼς δίκην (V. Lycurg. c. 24): οὕτω δουλοπρεπὲς, Plutarchus inquit, ἡγοῦντο τὴν περὶ τὰς τέχνας καὶ τὸν χρηματισμὸν ἀσχολίαν. Turbata autem bonorum aequalitate haud raro accidisse consentaneum est, ut quis privatis curis victusque comparandi necessitate impeditus se suosque ab illis ludis contineret, itaque licet civili loco natus praeter inopiam ignominiam quoque pateretur. Neque enim cogitari potest tantam morum depravationem legumque neglectum Lacedaemone invaluisse, ut totus velut ordo exsisteret eorum qui sua culpa capitis deminutionem passi essent; nec licet post cladem in Sphacteria acceptam multos simul censoriam notam subiisse audiamus (Thucyd. V, 34), explicari inde τῶν ὑπομειόνων origo poterit, quibus, si ex Cinadonis exemplo conjecturam facere licet, magistratibus quidem gerendis, non tamen simul et privati commercii auctoritate interdictum erat. Homoei igitur, ut totius disputationis summam paucis complectar, ii fuisse videntur, qui quum soli eum agrorum modum possiderent, unde et syssitiorum sumtibus sufficere et rei familiaris cura soluti Lycurgeae disciplinae vicibus inde a pueritia unice vacare possent, soli etiam ea in re publica dignitate jurisque plenitudine gauderent, cujus fructum Lycurgus illis conditionibus circumscripsisset; qui minus arabant, etsi pariter cum illis Spartani nati essent, inferiori loco quasi subimpares habebantur, quorum paullatim adeo accrevit numerus, ut ad extremum, Plutarcho teste V. Agid. c. 5, quum omnino septingenti e Spartanis reliqui essent, centum circiter soli et agros omnes et honores tenerent; ὁ δὲ ἄλλος, inquit, ὄχλος ἄπορος καὶ ἄτιμος ἐν τῇ πόλει παρεκάθητο, τοὺς μὲν ἔξωθεν πολέμους ἀργῶς καὶ ἀπροθύμως ἀμυνόμενος, ἀεὶ δέ τινα καιρὸν ἐπιτηρῶν μεταβολῆς καὶ μεταστάσεως τῶν παρόντων. Neque quod extremis rei publicae temporibus, ut Athenaeus tradit IV, 20, negligi coepta sunt syssitia, quidquam mutationis attulit; jam enim invaluerat optimatium dominatio, quae quum census differentia et institutionis puerilis proprietate niteretur, hereditario modo a patribus ad filios transiit, etsi per leges in singulos tantum homines juris illa deminutio constituta esset. Minus haec distinxit Tittmannus (Darstellung d. griech. Staatsverf. p. 586) quum, recte alioquin inter se comparatis Homoeis et καλοῖς κἀγαθοῖς apud Aristotelem, praecipuam Homoeorum dignitatem ad singulorum virtutem atque praestantiam referret; quae ut cum disciplinae Lycurgeae severitate arctissime conjuncta fuerit, nimis tamen notum est, quam vim illud vocabulum in Graecorum oligarchiis ad significandas optimatium

3 0112 115883057

factiones acceperit (cf. quos laudavi Lehrb. d. gr. Alterth. §. 58, not. 7), quam ut de hereditario Homoeorum ordine apud Lacedaemonios dubitare liceat. Melius utique Müllerus (Dorier II, p. 84), quem omnino intelligimus, nisi extra illam aetatem qua operis sui fines circumscripsit Homoei caderent, nihil nobis ad disputationem relicturum fuisse: „So viel leuchtet dem Unbefangenen auch bei der Spärlichkeit dieser Nachrichten ein, dass hier von einem an den Personen haftenden Unterschiede die Rede ist, der freilich dadurch vermittelt wird, dass jeder Homöos seinen Rang durch Schlechtigkeit verlieren und jeder andere denselben durch Tüchtigkeit verdienen konnte, *aber, wenn dies nicht der Fall war, dann doch der Familie blieb und auf die Kinder überging, da er nur in diesem Falle die Erziehung bestimmen konnte.*“ Illud certe, opinor, liquido comprobatum est, quod disputationis hujus initio asserui, leges Lycurgi, dum neglecta rerum humanarum mobilitate adamantinis vinculis continere omnia conarentur, ipsas veluti duces ad sui perniciem exstitisse. Quamvis enim magna detrimenta mores Spartanorum ab illis luxuriae instrumentis pecuniaeque signatae copia acceperint, unde post Lysandri victorias prima corruptionis semina recepisse eorum res publica traditur — cf. Plut. V. Lycurg. c. 30; V. Lysandr. c. 16; Athen. VI, 24; Aelian. Var. Histor. XIV, 29 etc. — facile intelligitur, exterarum divitiarum affluentiam in causa esse non potuisse, ut aliorum civium census diminueretur neque amplius ferendis syssitiorum exercitationumque oneribus pares essent, quibus adeo Lycurgus prospexerat, ut ad inopiam pervenire, integra ipsius agrorum descriptione, nemo civis posset. Ea tamen quo pacto sensim sensimque turbata ad illud demum inaequalitatis portentum, quod Plutarchus in Agidis vita describit, adducta sit, longioris disputationis est, quam cui hujus scriptionis angustiae sufficiant; quare nunc quidem deposito labore, per aliam opportunitatem, Deo favente, telam abruptam redordiemur.